

calumnia, esse inter Theologos Lutheranos, qui affirmant, es habe sich Carolus in allem / (nempe in allen Meinungen und Streit-Fragen / vult dicere, in allen Lappereyen und Zänckereyen) von der Sect der Papisten abgezogen und zu andern / nempe denen Lutheranern / geschlagen. Nec unum quidem nominare potest, cui hoc vel per somnium venerit in mentem, nedum ut id disertè assereret. Stolidam verò esset consequentiam, si quis ex eo, quod Evangelico cum solatio ex hac vitâ migraverit Carolus, colligere vellet, in omnibus cæteris religionis partibus Lutheranorum doctrinam amplexum fuisse. Ne quidem id sequitur, si quis dixerit eò quod Evangelicè obierit, beatâ morte fuisse perfunctum. Qui enim ex Pontificiis prævia errorum omnium, quibus implicatus per totam vitam fuerat, & peccatorum poenitentiam, rejectis propriis & Sanctorum meritis, solâ in Christum ejusque meritum fiduciâ subnixus moritur, is quidem publicâ professione fidei & expressâ errorum, quos antea toverat, reprobatione Lutheranus factus non est, non tamen ideò salute excidit, quia errores, si quibus adhuc implicitus est, non cum quadam animi malitiâ & pertinaciâ, defendit, sed DEO, ut cætera peccata sua, deprecatur, inque Christo, qui pro omnibus erroribus & peccatis justo in cælis judicij satisfecit, firmissimâ fide recumbit. Præcipuè, cum qui spretis omnibus suis aliorumque hominû meritis soli DEI gratiæ in Christo confidit, hoc ipso plerisque Pontificiorum erroribus nuncium mittat. Rectè enim de verâ justificationis doctrinâ judicavit Chemnitius: *est hic locus tanquam arx & propugnaculum totius doctrinae & religionis Christianae, quo vel obscurato vel adulterato vel subverso impossibile est puri-*

B 3 satent